

id judicans hoc transcripsi, figura inque hanc tertiam apposui. Notantur autem in TAB. Fig. III.

- N^o: 1. Brachii dextri aneurismate obstrati interius latus.
 2. Locus unde sanguis sponte prorupuit.
 3. Brachii dextri ejusdem externum latus.

Scripsoram *Amstelodami*,
 d. 16 Septembr. 1742.

XI. *Observationes duæ Anatomico-practicæ, una de Infante nato cum Sacco Aqua pleno, ab Osse Sacro usque ad Talos propendente; altera de Hydrocephalo singulari.* Auctore Job. Bastero, M. D. R. S. S.

Read Dec. 23.
 1742.

OMNE illud, quod lymphatica vasa ita obstruit, ut transitus contentæ lymphæ ad cor impediatur, hydropem causari potest: sic quando in partu difficiili caput nimium premitur, vel capite jam nato, os uteri collum, vasaque jugularia ita constringit, ut reditus sanguinis per arterias vertebrales allati inde impediatur, oriri potest Hydrocephalus.

Sic Lowerus, libro de corde, Cap. I. in cane vinculo ligabat venas jugulares, arteriis aperte relictis, videntque canis caput pedetentim intumescere, ipsumque hydropicum fieri: & ipse in suspensis hominum cadaveribus plus semel expertus sum, laqueo reditu sanguinis ex capite impedito, cavitates cerebri humore aquoso esse repletas, plexumque choroideum hydatibus scatere.

P p

Aut



Aut oritur hydrocephalus, quando infantes cer-
vice incurvo prodeunt, aut ab obstetricibus nimis rude-
tractantur, aut ante justum tempus prono capite in
utero prolabuntur. Multum hoc facit Pblegmati-
cum matris temperamentum, & vietus ex etiis &
concoitu difficultioribus.

Quoniam ergo in omni corporis puncto inveni-
antur venæ, vehentes lympham sanguine tenuiorem,
hinc ubique in corpore hydrops oriri potest; qui, si
universalis, anasarca, si particularis, a partibus affectis,
ut hydrocephalus, hydrops pectoris, uteri, ovarii, scroti,
&c. nomen habent.

Cum vero hoc anno rarissimum hydrocephali &
hydropis saccularis, ut loqui liceat, in praxi mea
casum observare licuit, illos ad vivum coloribus de-
pictos Regiæ Societati offerre veniam rogo.

Primus casus fuit infantis masculini sexus, cui in
tergo, ubi os sacrum est, oriebatur saccus usque ad
calcaneos propendens, vera cutis produktio, intus, ut
tangenti videbatur, humore aquoso plenus: hic in-
fans, quamvis roseo suo colore videbatur sanissimus,
paucos dies supervixit: mortuum dissecare non licuit,
sed ad vivum depinxit, omnibus partibus mensuratis,
accuratus pictor.

Alter infans duos annos cum semisse natus erat, eo
ipso quo moriebatur die, in omni quo tempore nil
nisi maternum lac hausit. A patre sanissimo pro-
creato, sed a matre cachectica in lucem edito, caput
quidem ipsi erat justo majus, sed pedetentim hoc ad
delineatam excrevit magnitudinem, (licet parentes
plures medicos & chirurgos consuluissent, plurimaque,
sed incasum, tentassent remedia) ita ut teneræ vires
mon-

monstrosum hoc caput sustinere essent impares, infansque semper jacere cogeretur.

Qui caput hoc post mortem filo metiebatur, ab auditorio meatu dextro supra ossa bregmatis ad meatum sinistrum filum viginti & scinipollicem Rhenolandicos longum reperiebat: qui a radice nasi incipiens, filum ducebat ad primam dorsi vertebram, huic viginti tales pollices filum erat: qui vero a radice nasi incipiens uno circuitu occipitis, frontis & temporum ossa cingebat, ejus filum viginti & quinque pollices Rhenolandicos longitudine superabat. Ita hujus capitinis ossa a se invicem erant disinta, intra cuius integumenta communia nil seri aut aquæ tamen fuit repertum.

Aperto autem secundum artem cranio, & prudenter elevata dura matre, apparebat pia, sed tenerima, sed pellucidissima plena humore aquoso, nullo odore, nullo sapore praedita, sed & ita pellucido, ut per eum, tamquam crystallum, ad fundum cranii posset perspici.

Ad fundum cranii, inquam; ipsa enim cerebri substantia, quam inter alia anatomica conservo, ita erat compressa, ut nil minus quam cerebrum videbatur; sed tantum firma membrana, quæ in his locis crassior, in aliis erat tenuior.

Tres cerebri cavitates unam modo cavitatem formabant, ubi medulla oblongata & cerebellum, sed incredibiliter parvum, videri erat. Nates, testes, anum, aut cerebri vulvam, aut ullas ejus protuberantias, aut medullam spinalem frustra quæsiveris, nec vestigia ipsa apparebant.

Contentus vero humor prudenter effusus & receptus replebat quinque pintas, ad stateram exanimatus sex libras & undecim ponderabat uncias.

Dum infans ille vivebat, non nisi vitales ac naturales actiones in eo videbantur, animales vero nullæ: quietus semper erat, non lacrymans, semper quasi dormiens, surdaster, & sine ulla convulsione, aut motu sensibili, obiit.

Printed for T. WOODWARD, at the *Half-Moon*,
between the *Two Temple-Gates* in *Fleetstreet* ;
and C. DAVIS, over-against *Gray's Inn Gate* in
Holbourn ; PRINTERS to the ROYAL SOCIETY. M.DCC.XLII.

E R R A T A.

Pag. 227. l. 13. for two or three more, read two, three or more.

N. B. N° 467. being paged from i—xviii. which answers to pag.
281.—298. we shall begin N° 468 with p. 299.